

a debito proximo; quia hæc ignominia etiam matris in Adamo peccantis alias redundaret in filium: esset aliqua conventio Christi ad Belial: introisset Sapia in carnata in malevolam animam: nec Amica Sponsi tota pulchra foret, nec sine omni macula. 2º. Sicut fomes concupiscentiæ a peccato est, et in peccatum inclinatur, sic debitum illud proximum a peccato est, et in peccatum nempe originale cuique proprium inclinatur et quodammodo necessitat, ita quidem, ut non nisi per ingens miraculum a culpa originali liberetur, qui ejus debitum habet; ergo si libera admittatur B. Virgo a fomite, liberanda etiam est a debito. 3º. *Virginitas perpetua et incorruptio corporis* vindicatur Virgini, quamvis utriusque defectus esse potuisset sine culpa morali quacumque; ergo immunitas a debito illi asserenda, quod saltem sine culpa in alio admissa esse nequit. 4º. Juxta S. ANSELMUM effatum *deicit*, ut B. Virgo ea puritate niteretur, qua sub Deo major non possit intelligi. Posset autem intelligi puritas major, si Virgo peccasset in Adam; nam puritas eo est major, teste S. THOMA, quo quis magis a peccato recedit; ergo.

129. R. III. Omnino admittendum est, B. Virginem habuisse debitum remotum.

Ratio est; quia juxta sensum Patrum et Ecclesiæ Christus est Redemptor omnium hominum, non tantum in suppositione accommodata, sed absoluta: et B. Virgo etiam vere et proprie est redempta a Christo, omnemque gratiam accepit ex meritis Christi ut Redemptoris; hinc enim ALEX. VII. in Constitutione n. 121. cit. ait sensum fidelium esse, B. Virginem *fuisse speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi, a macula peccati originalis præservatam*; et in Oratione, sub finem Officii parvi Immaculatae Conceptionis apposita, dicitur: *Ex morte filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti.*

Hoc autem explicari imprimis nequit, si non admittatur *debitum remotum*: Deinde nulla ratione minuit puritatem B. Virginis: Denique si etiam minueret, admittendum tamen foret, cum non nisi puritas major, quæ sub Deo est, et honori divino non repugnat, illi adscribenda a sanctis Patribus asseratur.

Textus S. BERNARDI n. 123. relatus probat quidem redemptionem duplici modo a Patribus fuisse usurpatam: Christum tamen non nisi aliquo tantum modo vocari Angelorum Redemptorem, ipsa verba docent.

CAPUT IV.

DE POENIS PECCATI ORIGINALIS.

ARTICULUS I.

AN ET QUENAM SINT POENÆ PECCATI ORIGINALIS IN HAC VITA?

130. *Nota*. De vitæ humanæ miseriis duplex Catholicis est cum Pelagianis controversia: altera, an illæ, ac præsertim concupiscentia sit mala? adeo enim hanc non esse malam contendebant, ut inde eos S. AUG. Libris contra Julianum *patronos, defensores, fautores et laudatores libidinis impudentissimos* passim vocare potuerit: altera, an, quæ vitæ hujus etiam fatebantur incommoda, ortum habeant ex peccato? Hæc enim una et mortem, cum peccatum originale inficiarentur, poenas etiam peccati negabant: quin, referente S. AUG. L. de dono persever. c. 41. n. 27. *Ignorantiam et difficultatem; sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia* (dicebant) esse naturæ. De 1ª. controversia satis dictum: de 2ª. hic breviter agemus, ubi miseriarum vitæ humanæ compendium ex BELLARMI L. 6. de amiss. Grat. præmiserimus.

131. *Dico I.* Mala, hominem post originale peccatum infestantia, alia sunt interna, eaque vel in anima, vel in potentiis animæ, vel in corpore: alia externa, quæ scilicet vel extra hominem sunt, vel ab extraneo adveniunt.

In anima sunt 1º. Amissio justitiæ originalis, quæ præter gratiam sanctificationem complectebatur donum integritatis, quod ex congerie virtutum infusarum intellectum et voluntatem perficientium, obedientia partis inferioris ad superiorem et membrorum corporis ad nutum voluntatis, divinaque protectione extrinseca constabat. 2º. Reatus culpæ, seu debitum sustinendi odium inimicitia divini. 3º. Reatus poenæ, saltem damni.

In potentiis animæ numerantur quatuor vulnera, ignorantia, nempe in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu delectabili, infirmitas in appetitu irascibili. Ratione ignorantia sæpe plurima ignoramus agenda, sive quoad nos et vitam nostram ac rerum naturas, sive quoad actiones politicas, sive demum etiam quoad morales: præterea multi etiam homines sunt hebetis valde ingenii, fatui item et amentes etc. Ratione malitiæ voluntas propendet ad bona inferiora et præsentia, neglectis æternis: ad commoda propria et corporis, posthabitis animæ bonis et honestis: ad præsentia etiam diei vel anni, non consideratis incommodis futuris etc.

Ratione concupiscentiæ fertur appetitus ad bona sensibilia, et rebellis pugnat contra spiritum, unde intestinum illud bellum ad mortem usque duraturum nascitur. Ratione infirmitatis homo torpet ad difficultates superandi



vitia et virtutes colendi, effervescit facile, et contra rationem ira insurgit propter sensibilia, et propria commodā inferiora. Porro hæc duo postrema, *concupiscentia et infirmitas* obnubilant etiam intellectum, et rationem a recta consideratione ac electione præpediunt: omnia vero vulnera inducunt alia quoque mala per curiositatem, levitatem, præcipitantiam et inconstantiam, quæ tum ad defectus varios, tum ad peccata viam sternunt.

In corpore accidunt 1°. Dolores et morbi, quorum nec numerum nec nomina vel integer liber complecteretur: 2°. Curationum difficultas, et labor ad tolerandam vitam necessarius: 3°. Vitæ brevitatis et continuus mortis imminentiæ metus: 4°. Mors ipsa.

Ad externa mala pertinent 1°. Ira et indignatio divina: 2°. Captivitas sub potestate diaboli, seu permissio nobis hic etiam nocendi, nos tentandi, et in altera vita cruciandi: 3°. Crudelitas hominum, rebellio bestiarum, et omnia denique mala, quæ a cælo, terra, mari, aliisque elementis patimur.

132. *Dico II.* Mala ejusmodi sunt effectus et pænæ peccati originalis. Est de fide.

Prob. universim ex CONC. ARAUS. II. can. 2. et TRID. Sess. 5. num. 1. Porro speciatim.

De malis in anima tum ex TRID., tum ex Ps. 33. v. 17. *Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Sap. 14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo, impius et impietas ejus.* Ad Rom. 1. v. 18. *Apostolus scribit, revelari iram Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam.*

De malis in animæ potentiis testatur frequentissime Scripturâ, dum Gen. 8. dicit: *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ sua:* Ps. 48. *Homo... comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis:* Eccl. 7. dicit, *eundem se infinitis miscuisse questionibus.* Unde axiomatis locum obtinet illud Glossæ, quæ Venerabili Bedæ tribuitur: *Homo spoliatus est gratuitis, et vulneratus in naturalibus, juxta parabolam, Luc. 10., S. Aug. L. de nat. et gr. c. 19. et L. 22. de Civ. c. 22.*

De malis in corpore manifesta fit mentio Eccl. c. 40. v. 1. *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulture.* Et Sap. 2. v. 23. et 24. *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

De malis externis idem testimonium Eccl. adducitur, atque huc etiam pertinet, quæ de ira Dei supra retulimus. Captivitas vero sub diabolo ex verbis Petri, ep. 2. c. 2. v. 19. *A quo quis superatus est, hujus et servus est;* et ex S. Aug. ep. 28. (al. 166. n. 16.) habetur. Reliqua ostendit interrogatio S. Jacobi in sua ep. c. 4. *Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc: ex concupiscentiis vestris?* Et illud Sap. 5. v. 18. *Armat creaturam ad ultionem inimicorum etc.*

133. *Observe.* Sectarii nostri temporis a Pelagianorum quidem hic rejecto errore recedunt, sed longe adeo, ut et ipsi in errores impingant. Præter memoratos enim effectus peccati originalis, alios etiam adhuc addunt; quorum primus est, per parentis primi peccatum, arbitrium liberum in homine penitus amissum esse et extinctum: secundus, naturæ corruptionem

tantam esse exortam, ut homo etiam justificatus non possit non semper peccare: tertius, peccati illius fructum esse odium divinum, fugam divini judicii, dubium de divinis promissionibus, desperationem de æterna salute, aliæque peccata actualia. Horum confutationem vide in Tract. de Grat. et Act. Hum.

ARTICULUS II.

AN PARVULI SINE BAPTISMO DECEDENTES PUNIANTUR PRIVATIONE BEATITUDINIS?

134. *Nota.* Vincentius quidam apud S. Aug. de Anima et ejus origine, L. 1. c. 9. et L. 3. c. 13. parvulis etiam non baptizatis regnum cælorum, hoc est, *beatitudinem supernaturalem* promittebat. Eandem sententiam tenet Zwinglius, ut probabilem de filiis infidelium, ut certam de fidelium prolibus: quod secundum amplectuntur etiam Calvinus, Bucerus etc. Alii quamvis parvulos ejusmodi a regno cælorum et vita beata Sanctis promissa excluderent, docebant tamen eos post judicium futuros *beatitudine naturali* beatos, et in quodam veluti paradiso terrestri perpetuo feliciterque victuros; ita Ambr. Catharinus, Albert. Pighius et Hier. Savonarola. Ad quamnam ex his sententiis classem, *Pelagianorum* error de vita parvulorum æterna pertineat, dubium est inter Theologos, cum non ita facile definiri possit, quidnam illi per vitam æternam intellexerint, quam parvulis sine baptismo decedentibus a regno cælorum distinctam pollicebantur. Certe ambigua erant ea de re ipsa *Pelagii* verba, quæ S. Aug. L. 2. de Grat. Christi et de pecc. orig. c. 21. refert: *Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant, scio; quo eant, nescio.*

135. *Dico I.* Parvuli sine baptismo decedentes puniuntur privatione beatitudinis supernaturalis. Est de fide.

Prob. Ex verbis Christi Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Item ex Apocalypsi constat, non introire aliquid *coinquatum* in regnum cælorum, nec alios, nisi qui scripti sunt in libro vitæ *Agni.* Parvuli autem sine baptismo decedentes manent *coinquati* peccato originali, nec nomina eorum inscripta sunt libro vitæ; ergo.

Conf. Ex Conciliis PALÆSTINUM, teste S. Aug. in ep. 106. ad PAULIN. (al. 186. n. 27.), compulit *Pelagium* anathematizare, infantes non baptizatos habere vitam æternam: CARTHAGINENSE in ep. AUG. 90. (al. 175. n. 6.), MILEVITANUM vel CARTHAGINENSE potius apud eundem ep. 92. (al. 176. n. 2.), FLORENTINUM Sess. ultima in Decret. Unionis (Lab. t. 13. p. 515. D.), TRIDENTINUM Sess. 5. et 6. can. 3. et 4. totam de præsentia materia doctrinam in SS. Litteris, Patribus et Conciliis dispersam colligunt et proponunt.

136. *Dico II.* Parvuli iidem etiam puniuntur privatione beatitudinis naturalis; tum quia nullum fundamentum habetur distinguendi in parvulis *regnum cælorum* a vita æterna; tum quia cum damnatione et carentia salutis æternæ conciliari nequit *beatitudo quæcumque.*

Prob. Parvuli sine baptismo decedentes in perpetuum erunt inimici Dei et filii iræ divinæ: erunt captivi et sub potestate demonis: inclusi habebunt inferno; ergo non fruuntur *beatitudine naturali.* Ant. constat ex Scri-

PTURA, CONCILII ET PATRIBUS APUD BELLARM. L. 6. de amiss. Gr. c. 2., quæ docent has esse pœnas etiam peccati originalis, neque absolvi ab iis quemquam nisi per baptismum. *Cons.* satis certo inferitur; tum quia beatitudo naturalis homini sine *meritis naturalibus* est indebita; parvuli autem eam mereri nequeunt, nec Deus etiam iis, tanquam suis inimicis, eandem liberaliter concessurus videtur: tum quia beatitudo naturalis, saltem *accidentalis*, plane repugnantia statui parvulorum et conditionibus commemoratis dicit; *essentialis* vero, seu cognitio Dei abstractiva perfecta amorque amicitie divinæ naturaliter beatificus, unde infantibus illis adveniat doceri cum fundamento nequit.

Conf. 1. Post iudicium extremum et in æternitate inter coelestem beatitudinem et damnationem non erit medium, testante Eccl. c. 11; *Si ceciderit lignum, ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Et suffragante S. AUG., qui L. 1. de pecc. mer. c. 28. n. 53. *Nec est, inquit, ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc et ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere... definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait: Qui non est mecum, contra me est.*

Conf. 2. Ex testimoniis Patrum, Pelagianorum dogma explicantium et damnantium: S. AUG. L. 1. de Anima et ejus orig. c. 9., SIME. ep. 1. ad Himer. c. 2. (Labb. t. 2. p. 1018.); S. PROSP. de voc. Gent. L. 1. c. 16. et L. 2. c. 20. etc.

137. *Obj. cont. 1^{um}.* S. AUG. in Enchir. c. 93. docet parvulos puniri pœna mitissima: sed ex S. CHRYSOST. pœna damni, seu privatio visionis Dei, est pœna maxima et acerbior, quam pœna infernalis et sensus; ergo.

R. 1^o. *D. M.* Puniuntur pœna mitissima, comparata ad pœnas adultorum, et qui personaliter peccarunt *C.* comparata ad pœnas quascumque *N.*

R. 2^o. *D. M.* Pœna damni est pœna maxima, si sumatur secundum se ad bonum præcise, quo privat *C.* si sumatur comparate ad pœnam damni et sensus simul, et ut afflictiva est ac pœna *N.*

Inst. Ex S. THOMA 1. 2. q. 87. a. 5. ad 2. Peccatum originale ratione gravitatis suæ non meretur pœnam æternam: sed Deus non punit ultra condignum; ergo. *Conf.* Secundum eundem, peccatum originale est minimum peccatorum, etiam comparatum cum veniali: sed veniale non punitur pœna æterna; ergo.

R. S. THOMAM hic debitum seu reatum pœnæ æternæ non tribuere quidem gravitati peccati originalis, sed *conditioni subjecti, scilicet hominis, qui sine gratia invenitur, per quam solum fit remissio pœnæ*; unde secundum sententiam sibi propriam addit: *Similiter dicendum est ad tertium de peccato veniali, quod nempe per accidens pœna æterna puniri sentit.* Ex responsione tamen ejus ad 1. colligitur, concedendum, quod originale in ratione conversionis non mereatur pœnam æternam; negandum autem, si sumatur in ratione aversionis, cui, ex alibi dictis hujus S. Doctoris, pœna damni correspondet.

Ad Conf. D. M. Est minimum secundum quid, scilicet in ratione voluntarii, et quidem tantum respectu posterorum Adami, non autem primi

parentis *C.* simpliciter *N.* Hanc ipsam esse doctrinam S. THOMÆ probat ejus expositio, quam q. 5. de malo a. 1. ad 9. subjungit.

138. *Obj. contr. 2^{um}.* Juxta Apostolum ad Rom. 5. 18. dicitur: *Per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Sed in parvulis peccato originali infectis non erit justificatio vitæ supernaturalis; ergo naturalis, quæ infert beatitudinem naturalem.

R. Argumentum hoc probat etiam, adultis saltem tribuendam esse naturalem beatitudinem, quod, cum contra fidem sit ac nimium, nec nos urgere potest. Itaque *D. M.* Per unius, scilicet Christi, justitiam transiit in omnes justificatio vitæ quoad sufficientiam *C.* quoad efficaciam *N.* Hinc etiam ab aliis explicatur non de omnibus simpliciter, sed de iis, qui ex Christo renascuntur.

Inst. 1. Post extremum iudicium *inimica destruetur mors*, 1. ad Cor. 15. 26.: sed si parvuli non gaudeant naturali beatitudine, id falsum erit; ergo.

R. *D. M.* Destruetur mors inimica corpori, et sic erit resurrectio ad iudicium vel vitam *C.* destruetur mors inimica animæ, et erit resurrectio ad veram vitam *subd.* in omnibus etiam infidelibus et parvulis non baptizatis *N.* in fidelibus et Sanctis *C.* His enim duntaxat convenit resurrectio vitæ, illis autem resurrectio iudicii; ex S. AUG. ep. 146. (al. 203. n. 14.) ad Constantium.

Inst. 2. Eodem tempore diabolus *ejicietur foras* Joan. 12. 31.: sed si in ejus potestate remansuri sint parvuli, nec hoc verificatur; ergo.

R. *N. min.* Juxta Apostolum ad Coloss. 1. 13., per Christum eripimur *de potestate tenebrarum.* Hanc autem *ereptionem* et diaboli *expulsionem* in parvulis fieri per baptismum, docent tum exorcismi et exsufflationes, quarum in Ecclesia semper fuit usus, tum S. AUGUSTINUS, tum ZOSIMUS et COELESTINUS Pontifices, pluribus in locis apud BELLARM. l. c. Unde ejectionis diaboli fructus sub finem mundi ad parvulos nihil pertinere potest.

Inst. 3. S. TH. in 2. dist. 33. q. 2. a. 2. ad 5. ait: *Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam, non tamen ab eo penitus sunt separati; imo ipsi conjunguntur per participationem bonorum, et ita de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et delectatione*; ergo beati erunt naturaliter.

R. *N. Cons.* Ad beatitudinem enim naturalem non sufficit quæcumque cognitio et naturalis etiam amor Dei; sed debet cognosci Deus ut amicus, ut inde oriatur amor amicabile, qui amicitiam mutua supponit. Cum igitur Deus non sit amicus parvulorum culpa originali infectorum, illis similem cognitionem, utpote falsam, non concedet.

Inst. 4. Hujusmodi parvuli consequentur plura *dona gratuita*, stature scilicet magnitudinem, immortalitatem et impassibilitatem; ergo et beatitudinem naturalem.

R. *N. Cons.* Quod enim S. AUG. L. 1. de pecc. mer. c. 23. inquit: *Nulla salus æterna.... promittatur infantibus, quam non promittat Scriptura divina humanis omnibus ingeniis præferenda*; idem hic de donis naturalibus censendum. Quare cum duo prima dona satis fundentur in Scripturis sacris et Patrum elogiis, beatitudo autem naturalis minime; discrimen oppido manifestum est. Quid de impeccabilitate, incorruptibilitate et impassibili-

tate infantium sit dicendum, partim ex sequentibus statuatur, partim alio pertinet.

Inst. 5. Non videtur ordini divinæ justitiæ congruum, ut infantes propter peccatum in alio commissum priventur beatitudine naturali; tum quia hæc est perfectio homini debita: tum quia naturalia juxta communem sententiam etiam post peccatum manent integra.

R. N. Ass. Contra quod pugnant rationes in thesi allatæ, et argumentum a majore ad minus. Si enim *de fide* est, privationem beatitudinis supernaturalis esse poenam justam peccati originalis, certe contra æquitatis divinæ leges non erit naturalis beatitudinis privatio.

Ad rationem 1^{am}. *D.* Beatitudo naturalis est perfectio homini debita in actu primò, hoc est, homo naturaliter debet posse eam adipisci *C.* est debita in actu secundo, hoc est, debet eam omnino actu et de facto possidere *N.*

Ad rat. 2^{am}. *D.* Naturalia, quæ debentur ex intrinsicis naturæ principiis, manent integra *C.* naturalia quidem, sed quæ non nisi per gratiam indebitam actu haberi et possideri possunt *N.* Talis autem esset *beatitudo naturalis* in præsentis quæstione:

ARTICULUS III.

AN PARVULI SINE BAPTISMO DECEDENTES PUNIANTUR PŒNA SENSUS ET IGNIS INFERNALIS?

139. *Nota I.* *Affirmativam sententiam Patres Latini* HIER., AVIT., FULG., GREG. M., ISIDOR., ANSELM. post exortam Pelagii hæresin magno consensu tenuisse videntur. Ambigitur autem de S. AUGUSTINI mente; tum quia L. 5. contr. Jul. c. 11. n. 44. *levissimam damnationem* parvulorum futuram scripsit: tum quia de pœna parvulorum ibidem ait: *Quæ, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere quod eis ut nulli essent quam ut ibi essent, potius expediret*: tum quia in epist. 28. (al. 166. n. 16.) ad Hier. significavit, se *coartari angustiis, nec quid respondeat invenire, cum ad pœnas parvulorum ventum est*: tum quia L. 3. de lib. arb. c. 23. ad objectionem Manichæorum de parvulis respondens, videtur medium quemdam statum concedere parvulis inter damnatos et beatos, sicut ibidem admittit *quædam media inter recte factum atque peccatum, et mediam judicis sententiam inter præmium et supplicium*. Atque hinc D. THOMAS cum S. BONAVENTURA et post hos Scholastici multi eum in contrariam etiam partem trahere, aut saltem benignius interpretari conantur.

Aliis tamen e contrario, et partem etiam negativam tuentibus quibusdam, de sancti hujus Doctoris mente nihil ambigendum videtur. In hanc rem proferunt prolixam ejus sententiam ex sermon. 14. de verb. Apostoli. (al. serm. 294. c. 3. n. 3.) Ad ulteriorem hujus rei confirmationem fundamentis supra oppositis respondent: et quidem

Ad 1^{am}, pœnam parvulorum mitissimam dici ac levissimam, non absolute, sed relate ad damnationem reprobatorum, qui peccata propria et personalia commiserunt.

Ad 2^{am}, his verbis nihil voluisse, nisi quod, licet pœnæ *quantitatem* et *qualitatem* definire nequeat, non tamen ausit dicere, quod eis etc.; quia

hoc effatum Christus non dixit de peccatoribus quibuscumque, sed de sceleratissimis duntaxat, qualis scilicet erat Judas. Sicut vero S. Doctor minime dubius erat, an dæmones ab igne infernali patiantur aliquid, licet non explicare posset, quid, quomodo et quantum ab igne paterentur: sic etiam ex verbis recitatis concludi nequit, cum fuisse dubium, utrum infantes ab igne aliquid paterentur.

Ad 3^{am}, dixisse tantum, quod *in hypothesi* creationis animarum singularum explicare nequeat, quomodo juste puniantur parvuli non solum pœna æterna, sed etiam temporali in hac vita, ut ejus verba continuo subjecta docent.

Ad 4^{am}, permissio etiam, inquirunt, quod S. Doctor scribens libros de libero arbitrio incertus fuerit de pœnis parvulorum; ipse tamen Aug. nihil inde probari ostendit L. de dono persever. c. 12. n. 30. Quantum vero postea ab hac dubitatione abhorruit, explicat ibidem paulo post: *Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam; quoniam quod scriptum est: Per unum hominem etc., aliter recte intelligi non potest: nec a morte perpetua, quæ justissime est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille, qui propter remittenda et originalia et propria peccata nostra mortuus est.*

140. *Nota II.* Post seculum XII. *sententia negans* a Magistro sententiarum, D. THOMA, S. BONAVENTURA, SCOTO aliisque scholarum Principibus adoptata sic invaluit, ut eam omnes aut fere omnes Scholastici sint amplexi, solis *Rigidioribus*, ut se profitentur, AUGUSTINI Discipulis exceptis; quibus tamen accensos nolim *Calvinum*, *Jansenium* aliosque novos dogmatistas partem affirmantem sectantes, utpote de quibus suspicionem injicit Martinus supr. cit. Disp. 40. sect. 6., id ab iisdem forte fieri, ut minuant horrorem dogmatis alterius, quo dicunt adultos damnari ad ignem æternum propter opera facta sine usu liberi arbitrii et potestate abstinendi. Item ut acceptabile reddant dogma aliud, quod Deus ex massa generis humani per Adam corrupta, pro mera sua voluntate, seligat aliquos ad vitam æternam, alios destinat ad æternam mortem, destituatque mediis necessariis et sufficientibus, ut salvari possint.

Cæterum, ut Tournely recte ex Bellarmino notat, qui sententiam de sensibilibus parvulorum pœnis veriorē esse putant, ei absque ulla excessus formidine adhærere debent: quia misericordia nostra erga parvulos defunctos nihil eis prodesse potest, sicut nec eis obesse potest sententiæ nostræ severitas; multum vero nobis obesset, si ob inutilem misericordiam contra Scripturam aut Patres pertinaciter aliquid defenderemus. Præterea quamvis cavendum sit Clericis, ne has scholæ opiniones *in Catechesibus* proponant, possunt tamen data occasione prudenter iisdem *priore* opinione uti contra matres, quæ ex negligentia fœtus in utero suffocant, aut præmature effundunt: *posteriore* autem, ut leniant earum dolorem, quæ proles sine baptismo extinctas acerbius lugent; utraque enim verè probabilis est, et neutra certa. Quænam vero probabilior nobis videatur, si aperiendum sit,